DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
CONTINENS
Diverſas Poſitiones Medicas;

QUAM,
DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

CORNELII VAN ECK,
J. U. D. Civilis atque Hodierni Juris
Profeſſoris Ordinarii;

NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,
Eruditorum Examini ſubjicit

JOANNES HENRICUS MUNNICKS, Ultraj.

Ad diem XII. JANUARII, *loco horisque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiae Typographi. cIↃ IↃ CCXVII.

DEO,
PATRIÆ,
PROPINQUIS,
PRÆCEPTORIBUS,
ATQUE
AMICIS.

Diſputationem hanc Inauguralem, ea qua par eſt reverentia ac obſequio

D. D. D.

JOANNES HENRICUS MUNNICKS.
Auth. & Reſp.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

CONTINENS

Diverſas Poſitiones Medicas;

THESIS I.

Medicina eſt ars medendi.

I I.

Artem exiſtere, præter auctoritatem Hippocratis aph. 1. ſect. 1. conſtat ex plurimis argumentis a principiis, fine, objecto, externis & mediis petendis.

I I I.

Principia enim Medicinæ ſive fundamenta ejus ſunt experientia ac ratio poſt eam quæſita.

I V.

Finis ejus proximus exiſtit ſanitas, quæ diſtinguenda tamen ab officio Medici, quod mederi eſt ſive curare.

V.

Objectum Medicinæ exiſtit corpus humanum vivens, quod conſiderari poteſt, vel quatenus in ſtatu ſano vel quatenus in ſtatu morboſo exiſtit.

V I.

Statum ſanum rite ſi Medicus velit cognoſcere ipſi, præter Phyſicam explanationem, plane neceſſaria exiſtit cognitio partium corporis

humani,

humani; qua perfecte contemplata, cauſæ ſanitatis non difficile ipſi patebunt poſt quas quænam effecta ſive ſigna ex hiſce fluant, perſcrutandum exiſtit.

VII.

Partium corporis humani diviſio omnium optima ac compendioſiſſima, juxta Hippocratem, in continentia, contenta, ac impetum facientia, ſive ſimpliciter in ſolidas ac fluidas, exiſtit:

VIII.

Solidarum ſi exiſtat genuina conformatio quoad magnitudinem, figuram, numerum, ſitum, nexum, cavitatem ac ſuperficiem; bona ſtructura dicitur.

IX.

Fluidarum vero ſi reperiatur legitima mixtura quoad particulas minimas, ſive facultates δυναμεῖς Hippocrati dictas, ſc. ſalſas, amaras, acidas & ſexcenta alia; bona materiatura audit. Ac hæ binæ, ſi apte conſtitutæ ſunt, nomine ſanitatis cauſarum indigitari ſolent; ex quibus facile explicatu exiſtit quid proprie per Elementa ac temperamenta Medica intelligi debeat.

X.

Ex bona hac conſtitutione partium ſolidarum ac fluidarum actiones genuinæ ut profluant, neceſſe eſt.

XI.

Quæ vel tantum ab anima, animales dictæ, vel tantum à corpore, naturales dictæ; vel partim ab anima vel partim à corpore; mixtæ dictæ, dependent.

XII.

Actionum naturalium prima chylificatio exiſtit, quæ incipit in ore ac in ventriculo mediantibus ſaliva ac humore in glandulis ventriculi ſecreto tanquam cauſis efficientibus, peragitur: ad quæ concurrit calor circumjacentium viſcerum tanquam cauſa adjuvans; multumque hiſce conducit motus ventriculi periſtalticus, cui tamen ſoli aſſumptorum in chylum converſio non eſt adſcribenda.

XIII.

Aſſumpta ita in chylum ſive ſuccum albicantem converſa, immediate à venis gaſtricis non excipiuntur, ſed motu ventriculi periſtaltico, uti & diaphragmatis, per pylorum ad inteſtinum duodenum, expelluntur.

XIV.

In quo fit potiſſimum ſeparatio Chyli purioris a particulis fæculentis (cum ulterior diminutio particularum hic requiri non videatur) mediantibus potiſſimum duobus ſuccis, pancreatico ſc. ac bilario, ad quos concurrere exiſtimo ſuccum ſecretum in glandulis Peyerianis utpote humorem ejuſdem fere naturæ ac ſuccus gaſtricus.

XV.

Separatione hac peracta, ſubtilior Chyli pars per vaſa lactea, & ſic ulterius per vias notas uſque ad Venam ſubclaviam ſiniſtram, ubi Chylus ſanguini permiſcetur, fertur.

XVI.

Hæc vaſa lactea in omni inteſtinorum parte videntur exiſtere, æque ſc. in craſſis ac tenuibus, quod præter rationem per experientiam Anatomicam à multis Viris Celeberrimis, probatum fuit.

XVII.

Chylus ſanguini quando permixtus eſt, ad dextram cordis auriculam, ſicque ad ventriculum ejus dextrum, & per arteriam pulmonariam ad Pulmones, progreditur.

XVIII.

In quibus aër ſanguini, ut ipſe vappidus, hic magisfloridus reddatur, permiſcetur.

XIX.

Aër hic, quando pulmonem ingreditur, inſpiratio peragitur; quando egreditur, exſpiratio fit; hæcque reciproca actio reſpirationis nomine indigitatur.

XX.

Cauſæ inſpirationis exiſtunt thoracis expanſio, vis aëris elaſtica, ac atmoſpheræ preſſura.

XXI.

Inſtrumenta thoracem expandentia ſunt muſculi per ſpiritus animales inflati, & quidem ſubclavii, intercoſtales tam interni quam externi, ac diaphragma.

XXII.

Cauſa exſpirationi inſerviens eſt thoracis compreſſio, quæ peragitur partim ceſſante influxu ſpirituum animalium in muſculos ſupra dictos, partim compreſſione muſculorum abdominis quos tantum exſpirationi inſervire puto.

XXIII.

Uſum reſpirationis in conſervatione ſanguinis motus progreſſivi ac inteſtini conſiſtere autumo, non autem in ſanguinis refrigeratione vel (ſecundum alios) accenſione.

XXIV.

Sanguis ita particulis aëreis refertus, per venam pulmonariam ad ſiniſtram cordis auriculam, hincque ad ſiniſtrum ejus ventriculum tendit & ſic per arteriam aörtam ad omnes noſtri corporis partes, partim ad nutritionem peragendam, partimque ad varias ſecretiones præſtandas, progreditur.

XXV.

Sed præter ſanguinis motum progreſſivum, adhuc datur inteſtinus, quibuſdam fermentatio ſanguinis dictus, quo mediante particulæ ſanguinis ulterius ſubdividuntur, comminuuntur ac ad prædicta munia præſtanda nutritionem ſc. ac ſecretiones, præparantur.

XXVI.

Motus hic maxime peragitur in ſiniſtro cordis ventriculo cum hic iſtius requiſita ſummo in gradu reperiantur; licet tamen etiam fiat in dextro cordis ventriculo uti & arteriis.

XXVII.

Requiſita ejus motus exiſtunt diverſitas particularum heterogenearum, materia ſubtilis ac cavitas ampla, ita ut proprium fermentum in corde non ſit ſtatuendum.

XXVIII.

Motus hi prædicti cauſæ ſunt ſanguificationis: hiſce enim Chylus in ſanguinem convertitur, illaque in toto noſtro corpore peragitur, non autem ſoli hepati aliæve parti tanquam organo appropriato eſt adſcribenda.

XXIX.

Ex prædictis jam patet calorem ſanguificationis cauſam efficientem minime exiſtere, ſed tantum ſequi ipſum motum tum inteſtinum tum progreſſivum, ille enim mentis tantum perceptio eſt.

XXX.

Ex ſanguificatione probe peracta nutritio laudabilis ac ſecretiones genuinæ reſultant.

XXXI.

Nutritio eſt reſtauratio defluxarum corporis partium triplicium, ſolida-

lidarum, ſc. humoralium, ac ſpiritualium.

XXXII.

Secretio vero eſt ſeceſſio humorum aliarumque particularum à ſanguine arterioſo (licet exceptio reperiatur circa bilis ſecretionem) in locis convenientibus ſive ſint glandulæ ſive vaſorum circumvolutiones.

XXXIII.

Humores autem diverſi in locis peculiaribus à ſanguine ſecedunt ob diverſitatem particularum ex quibus ſanguis conſtat, & partium variarum in quibus ſecedunt aliam conſtitutionem.

XXXIV.

Sic in cerebro à ſanguine arterioſo ſpiritus animales, partes ſanguinis tenuiſſimæ ac agitatiſſimæ ſecedunt, qui tripliciter conſiderari poſſunt; vel quatenus ſunt in ſtatu confuſionis, vel in ſtatu conjunctionis, vel in ſtatu ſeparationis; generantur autem in corde & arteriis, ſecernuntur vero in cerebri corticali ſubſtantia & quidem per modum vaſculorum uti ex Anatomica experientia apparet.

XXXV.

In mammis autem lac ſecernitur, cujus materia non ſanguis, ſed Chylus ſanguini permixtus exiſtit, atque per arterias mammarias ad haſce partes defertur: nondum enim conſtat peculiares vias ex ductu thoracico ad mammas, per quas Chylus progredi poſſet, tendere.

XXXVI.

Uti ejus partis Medicinæ, quæ corporis ſtatum ſanum conſiderat, Phyſiologiæ dictæ, objecta erant ſanitas, ſanitatis cauſæ, & ſanitatis effecta, ſic ei oppoſitæ partis Pathologiæ dictæ, objecta ſunt morbus, morbi cauſa & morbi ſymptoma; quæ poſteriora duo æque ſunt morbi ac ipſe morbus.

XXXVII.

Morbus ratione ſubjecti optime dividi poteſt in morbum intemperiei ſc. materiaturæ, & malæ conformationis ſive ſtructuræ.

XXXVIII.

Morbus intemperiei in partium fluidarum inæquali, intemperata ac perturbata mixtura, conſiſtit; hinc cum infinitis modis iſta mixtura perturbari poſſit, quoniam ex infinitis facultatibus vario modo mixtis conſtet, non mirum quod ad certum numerum redigi non poſſit.

XXXIX.

Morbus ſtructuræ in partium ſolidarum ſtructura indebita conſiſtit quoad

quoad magnitudinem, figuram, numerum, ſitum, nexum, cavitatem ac ſuperficiem.

X L.

Morbi cauſa exiſtit quicquid morbum facit, vel producere poteſt.

X L I.

Inter morborum cauſas ut plurimum numerantur Plethora & Cacochymia, quamquam in ſua natura morbi ſunt vid. Theſin 36.

X L I I.

Plethora eſt ſanguinis boni ac laudabilis in corpore abundantia.

X L I I I.

Univerſale ipſius remedium eſt depletio vid. aphoriſ. 3. ſect. 1. quam ſæpiſſime præſtat V. S. 1. quam quadruplicem ſtatuo, ſc. Evacuatoriam, Revulſoriam, Averſoriam ac Derivatoriam.

X L I V.

Cacochymia vero eſt humoris boni depravatio ac infinita reperitur, tot enim dantur Cacochymiæ ſpecies quot modis humores vitiari poſſunt; ita ut juxta veteres quadruplex, Bilioſa ſc. Pituitoſa, Melancholica ac ſanguinea minime ſit cenſenda.

X L V.

Duplex tamen ſtatui poſſet, cocta ſc. & cruda, id eſt, quæ apta exiſtit ut Medicamento purgante evacuetur, vel quæ (antequam evacuetur) prius concoquenda & temperanda exiſtit.

X L V I.

Cacochymiæ univerſale remedium eſt Melioratio, cujus modi diverſiſſimi ſunt tam ratione ejus naturæ quam quantitatis per excretiones, nunc enim conducit purgationem inſtituere, nunc ſudores promovere, nunc urinas provocare, nunc acrimoniam acidam & ſalſam infringere ac temperare.

X L V I I.

In Cacochymia autem pituitoſa purgantia multum juvant, præſertim ſi iſtis incidentia & attenuantia jungantur, hincque citius hujus morbi ſperandus erit

F I N I S.